

16



42 168
MEDICATIO DUORUM ÆGRORUM,
IMBECILLITATE HEPATIS
LABORANTIUM:

Q V A M,
DEO OPT. MAX. AUXILIANTE;
SUB PRÆSIDIO
VIRI CLARISSIMI,
D HENRICI REGII,
Reip. Ultraject. POLIATRI, & Medicinæ
Professoris Ordinarii, ac Philosophi
eximii,

Publicæ disquisitioni exhibet
JACOBUS INGELSEN, Goezâ-Zelandus,
Ad diem 28. Maji, horâ 9. matutinâ.



TRAJECTI AD RHENUM,
TYPIS Gisberti à Zyll, & Theodori ab Ackersdyck,
c l o c c l l.

Reverendo. gravissimoque Viro,

D. MATHIÆ JACOBO, Mercatori apud Medio-
burgenses strenuissimo, Parenti honorando, semperquē filiali amore
prosequendo.

U T E T

Celeberrimis ac Eruditissimis Viris

D. CORNELIO GENTMANNO, avun-
culo charissimo Tutorique meo plurimumque ve-
nerando.

D. MAURITIO LIEMANNO, Fratri
suo dilectissimo summequē colendo, Theologo
Doctissimo, præceptori quondam suo solertissimo,
parentis instar suspiciendo.

Ecclesiæ, quæ
Hultæ CHRIS-
TO Colligitur
Pastoribus vigi-
lantissimis.

D. ABRAHAMO HAPPARTIO,

Verbi Divini apud Goefanos
præconi fidelissimo, Theologo
doctissimo, in linguis versa-
tissimo, singulari quodam
amore amplectendo.

N E C N O N

Clarissimis, prudentissimis, ac summâ eruditione Viris.

D. HENRICO REGIO, Reip. Ultra-
ject. Poliatro, & Medicinæ, Anatomes, ac Botanices Professore Ordini-
nario, & Philosopho acutissimo, præfidi suo indefesso.

D. JOHANNI EDUARDO,

S. Theol., in Ecclesia, quæ
in Oosterlandia CHRISTO
congregatur, promulgatori
vigilantissimo studiorū meo-
rum promotori indefesso.

D E N I Q U E

Præstantissimis, doctissimis Viris-Juvenibus.

D. FERDINANDO GRUWARDO,
D. DANIELI DE SWAEF,
D. SAMUELI MERIZON,
D. JOHANNI MAILLY,
D. BARTHOLOMEO HARDEKAP,
D. JOHANNI PENNE,
D. GULIELMO NOLLET,
D. JOHANNI DANGRU,

Medic. Stud. diligentissimo,
meoque unicè amico charo.
S. Theol. Studiosis, amicis
meis pernecessariis.

Philosophiæ Studiosis stre-
nuè incumbentibus, Amicis
meis percharis.

Hoc exercitium Medicum in grati animi signum

Amore, more, ore, re. *Confecro*

JACOBUS INGELSEN, Phil. & Med. Stud.

MEDICATIO VIRI, Intemperie frigida & imbecil- litate Hepatis Laborantis.

I.

Vir triginta quatuor annorum, post longam & largam narium hæmorrhagiam, cibos frigidos, & aquæ copiosæ potum, totum corpus tactu frigidum ac subtumidum, ac faciem albidam, habet. Cruda per alvum excernit, eaque sæpe valde fætida. Interdum etiam copiose & frequenter evacuat materiam nigram instar sanguinis coagulati: interdum materiam liquidam instar aquæ, in qua carnes mactatorum animalium sunt lotæ. Nonnunquam ipsum infestat febricula languida & lenta.

II.

Afficitur in hoc ægro totus habitus corporis, quod ex ejus frigore & tumore est manifestum. Item intestina & hepar, quod ex fœtidis & sanguinolentis excrementis patet. Nec non cor, quod lenta illa febricula probat.

Morbus, quo affligitur æger, est intemperies frigida & serosa hepatis, qua illud ita debilitatum est, ut, pro bono sanguine & chymo, serosum & corpori alendo ineptum gignat.

III.

Causa procarctica hujus morbi fuit larga & longa illa hæmorrhagia narium; item usus ciborum istorum frigidorum, & potus aquæ copiosæ. Hinc enim ventriculus & intestina fuerunt debilitata, quo chylus crudus fuit genitus; qui *antecedentem* huic morbo præbuit causam. Is verò ad hepar delatus, corruptelamque contrahens, intemperiem hepatis frigidam & tantam debilitatē conciliavit, ut pro bono chymo serosus & aqueus fuerit genitus. Qui deinde ad cor delatus ac ibidem in san-

H 2

guinem



guinem serosum conversus, atque inde in varias partes propulsus, varia hujus morbi producit symptomata.

IV.

Nam sanguis ille in habitum corporis delatus refrigerat & humectat ita sua frigiditate & aquositate totum habitum corporis, ut ille ad tactum frigidus & tumidus, faciesque pallida appareat. Ad intestina verò per arterias mesaraicas propulsus, interdum emittit ille excrementitias quasdam partes non satis coctas & foetiditas in intestina, quæ illis ad excretionem infernam irritata faciunt crudorum & foetidorum excrementorum evacuationem. Interdum verò sanguis ille vitiosus talis est, ut modo crassiores modo serosiores quædam ejus partes, per arteriarum mesaraicarum poros, in intestina propellantur, & quando crassiores eo propellantur, tunc illæ ibidem coagulatae, & postea excretæ, faciunt excretionem sanguinis nigri coagulati: ubi vero serosiores ibi copiosius in intestina effluunt eaque ad excretionem copiosam & frequentem irritant, fit excretio materiæ liquidæ instar aquæ, in qua carnes sanguinolentæ fuerunt lotæ. Denique ubi materia illa corrumpitur, putredinemque & febrilem malignitatem contrahit, ac ad cor defertur, producit febriculam illam lentam, quæ æger noster sæpe infestatur.

V.

Existimo autem sanguinem per arterias mesaraicas à corde in intestina propelli; quia venæ mesaraicæ nihil ad intestina devehunt, nec ob valvularum situm eò quicquam devehere possunt.

VI.

Hic morbus valde est periculosus: metus enim est, ne hydropem vel totius corporis consumptionem inducat.

VII.

Curatio itaque sedulo erit aggredienda; eaque in humorum pravorum evacuatione, & intemperiei affectorum viscerum, & sanguinis correctione, consistet.

VIII. Pri-

VIII.

Primo itaque purgetur æger tali haustu:

Rx. fol. sennæ ʒvj.
 agarici ʒjß. sem. anisi feniculi an. ʒj.
 fol. absinthij, marrubij, centaur. min.
 capill. vener. schenanthi an. m.ß.

decoq. in aq. com. q. s. pro ʒ viij.

Colatura adde syr. de eupatorio ʒ j. ß. F. potio.
 pro duabus dosibus, alternis diebus mane sumendis.

Postea utatur de hoc apozemate:

Rx. rad. feniculi, petroselini, asparagi an. ʒj.
 herb. capill. veneris, marrubij, absinthij, centaurei min.
 an. Mj.

schenanthi, rad. cyperi an. ʒij.

sem. anisi feniculi, apij, cumin. an. ʒij.

Decoquantur in equalibus part. aq. & vini.

ad. lib. iß. in Colatura dissolve syr. bysantini. ʒij.

Misce F. apozema, de quo bis in die sumat haustum ʒiiij.
 eoque exhausto, idem vel simile decoctum repetatur.

Utatur etiam subinde de hoc condito:

Rx. conserv. ros. rubr. ʒj.
 absinthii Rom. & vulgar. an. ʒij.

cort. citri conditi ʒß.

spec. diarhod. abbatis, diagalanga an. ʒß.

trochisc. de absinthio ʒj.

uvar. pass. ab arill. purg. ʒß.

sem. anisi ʒß. syr. de eupatorio. p. l.

F. Conditum, de quo sumat ante singulos pastus
 magnitudinem castanea.

IX.

Foris foveatur hypochondrium dextrum & abdomen hoc
 fomento:

Rx. fol. agrimonie, marrubij, absinthij an. m. j.
 flor. camomill. p. j. spica nardi, schenanthi an. ʒij.

H 3

roris-

rorismarini. m. β.

Includantur sacculo, qui decoquatur in aq. port. vini & aqu. Pro fomento.

Post fotum adhibeatur hoc unguentum loco affecto:

Rx. olei nardini, absinthij, mastichini an. ʒ β.

ol. ros. ʒ ij.

spica nardi, cariophyll, schananthi an. ʒ β.

succi eupatorij, aceti, & cera parum,

F. unguentum.

X.

In victus ratione præscribatur aër calidus, Cibus sit calidus, coctu facilis, & boni nitrimenti, ex pane bene fermentato, carnibus vervecinis, aromatibus mediocriter conditus. Utatur etiam salvia, mentha, petrosolino, nasturtio, semine petroselini, anisi, uvis passis; sit cerevisia absynthites, vinum mediocrium virium; exercitium sit moderatum. Somnus mediocris. Animi pathematis non molestetur.

MEDICATIO PUELLÆ,
Imbecillitate & obstructione hepatis à pituita crassa laborantis.

I.

PUella octodecim annorum, pituitosa, victu crasso & humido longo tempore usa, habet faciem, labia, & omnia reliqua membra pallore squalentia, genas ac pedes tumentes. Urina est clara ac alba. Gravitas & tensio, cum dolore obtuso, dextrum occupat hypochondrium. Dolorque augetur mox à cibo, præsertim ubi illa paulo major corporis motu lese exercet. Spiritum impedit ducit, ubi scaldas vel alia acclivia loca ascendit.

ascendit. Pedes sub vesperam magis tument. In ore saliva sca-
tet. Non sitit.

II.

Afficitur potissimum in hac ægra hepar; quod constat ex do-
lore in dextro hypochondrio percepto. Afficiuntur etiam facies,
labia, pedes, & reliqua corporis membra, ut ex eorum tumore
& pallore est manifestum.

III.

Morbus, qui illam affligit, est hepatis & vicinorum vilcerum,
chymosi inservientium intemperies serosa & pituitosa, cum
obstructione eorum conjuncta, ac chymoseos debilitatem in-
ducens, quæ debilitas hepatis vulgò dicitur.

IV.

Causa procatartica hujus morbi est diutinus usus alimenti
crassi & humidi. Quo venter, hepar, & aliæ partes, chylosi &
chymosi inservientes fuerunt refrigeratæ, atque hinc natus est
chylus & chymus crassus & frigidus ac tenax, qui *antecenden-*
tem huic morbo præbuit causam. Ab his deinde ubi hepar ulte-
rius est refrigeratum debilitatum & obstructum, illa *continen-*
tem hujus morbi & symptomatum constituerunt causam.

V.

Hinc enim factum est, ut sanguis genitus sit in corde sero-
sus, aqueus, frigidus, pallidus, & nonnullis partibus crassus, qui
in faciem labia & reliqua corporis membra ab illo propulsus,
ea squallido pallore & tumore affecit. Renesque porrò hinc
obstructi & refrigerati faciunt, ut nil nisi id, quod tenue & a-
quosum, vi renum à reliquo sanguine separari possit; atque hinc
urina est alba & clara. Crassus vero chymus, cum ob crudita-
tem & visciditatem suam per poros angustos hepatis satis com-
mode transire in venam cavam non possit, ibi magnam partem
manet, viscusque illud pondere gravat, & copiâ in hypochon-
drio dextro tendit: dolorque gravativus & tensivus, post cibum
assumptum & post vehementiorem corporis motum, augetur;
quia assumpto cibo & corpore moto nova & copiosior materia,
per hepatis angustias transcolanda, ad illud viscus fertur, &
per

per illud jam obstructum viam affectat. Et quia per omnem vehementiorem corporis motum, ac præsertim in scalis ascendendis factum, materia in hepate & vicinis diaphragmati partibus, atque in ipso pulmone existens, rarefit, eaque rarefacta valde premit diaphragma & angustat bronchia pulmonū, hinc ægræ acclivia loca ascēdenti difficilem respirationem conciliat. Et denique quia humores crassi & ponderosi toto diurno tempore, quo ægra corpus habet erectum, copiosius ad pedes descendunt, ii que ex iis cum reliquo sanguine perpetuo per sanguinis circulationem difficulter ad partes superiores ascendere possunt, hinc oritur major, sub vespertinum tempus, crurum tumor.

VI.

Hic morbus minatur hydropem, atque ideo fidelem desiderat curationem.

VII.

Quæ consistet in causarum remotione, intemperiei per contraria correctione, & obstructionum per aperientia & incidentia ablatione.

VIII.

Primò itaque utatur tali apozemate :

Rx. rad. petroselini, feniculi, assparagi, apij, graminis, an. ʒj. herb. origani, rorismarini, artemisia, chamædr. an. m. j. centaurei, cuscute, agrimonia, chamepyt., lupuli, fumarie an. m. s.

sem. feniculi, dauci, pastinacæ an. ʒj.

uvar. pass. ab arill. mund. ʒj.

glycerizæ rasæ ʒij.

fol. sennæ ʒj. rabarb. ʒj. agarici ʒj. β.

schœnanthi, cyperi, calami aromat., zinzib. albi an ʒβ.

Coquantur in aq. communi ad lib. j. Colaturæ adde syr. de cichor. cum rabarb. ʒj. β. F. Apozema,

pro iiij. vel v. dosibus, mane jejuno ventriculo sumendis.

Subinde etiam purgari poterit his pilulis:

Rx. pilu-

*Rz. pilular. de hiera, aromatic. an. gr. viij.
scammonij gr. ix. cum syr. ros. sol. F. pilula N. iv.
mane jeiuno ventriculo danda.*

Utatur etiam decocto filicis, cum oxymellite in eo dissoluto.
Et præscribatur hoc conditum:

*Rz. conserv. capill. veneris, flor. betonica. an. ℥ β.
trochisc. de eupatorio, de rabarb. an. ℥ β.
spec. diarhod. abbatis, trium santalini an. ℥ j.
syr. bysantin, de eupatorio an. q. s. F. Conditum, de quo
sumat magnitudinem nucis avellana, paulo ante cibum, bis
in die.*

IX.

Hypochondrium dextrum tali inungatur unguento:

*Rz. olei nardini, amigdalar. amarar. an. ℥ j β.
succu apij ℥ β. decoq. ad succi consumpt.
addendo deinde spica nardi & celtica,
schananthi, asar. an. ℥ j.
sem. apij, petroselini an. ℥ β.
cyperi, ros. an. ℥ β. Misce, f. unguentum, quo fini-
strum hypochondrium mane & vesperi innungatur.*

X.

In victus ratione aer sit calidus, purus, tranquillus. Cibus sit attenuans & calidus, ex pane bene formentato, carnibus vervecinis, gallinaceis, ovis sorbilibus, capparibus, asparagis, hyssopo, petroselino. Vitet lacticina. Potus sit vinum & cerevisia mediocrium virium. Corpus ante cibum mediocriter exerceatur. Somnus sit mediocris. Vitet tristitiam. Gaudio det operam. Alvus respondeat naturam vel arte.

COROL.

Corollaria Respondentis.

1. *In rerum natura nunquam gignitur novus motus, nec unquam perit.*
2. *Non ad motum plus actiois requiritur, quam ad quietem.*
3. *Motus motui nunquam adversatur.*
4. *Corpus, dum rarefit aut condensatur, non augetur vel immunitur,*
5. *Fœmina, etsi consuevit cum plurimis, ab uno tantum concipere potest.*
6. *Fœtus in utero nutritur etiam ore.*
7. *Procreatio fit ope subtilissimi halitus corporei, ex semine virili exhalantis, & cum germine in semine muliebri existente mixti sive juncti.*
8. *Nullus fit motus ob fugam vacui.*
9. *Spacium vacuum nec est, nec esse potest.*
10. *Nulla est continuitas in corpore præter eam, quæ est in partibus insensibilibus.*
11. *Partes insensibiles non sunt atomi.*
12. *Atomi non dantur.*
13. *Tractio fit per sola affixa.*
14. *Nullus est motus præter localem: qui est translatio corporis de loco in locum.*

Ad præstantissimum, doctissimumque Dominum,
D. JACOBUM INGELSEN,
DE
HEPATIS IMBECILLITATE
Ingeniosissime disputantem.



Rande decus patriæ, quem prona ecclesia poscit,
Et sperant G O E S Æ mænia celsa tuæ,
Sic decuit flexisse gradus, atque ire per omnes
Quas struit altitonans, ad sua sacra, vias.
Nunc mundum, mundi que D E U M specularis, & inde
Spectabis cœlum, cœlicolûmque D E U M,
Qui tamen omne regit: nunc corpora fessa mederis;
Mox erit ast animæ proxima cura tibi.
Sit dexter, facilisque D E U S, tua cæpta secundet.
Det tibi scire prius, det tibi deinde frui.

Ex tempore. S. MERIZON.

A D E U N D E M.



Artistes Sophia, dum te percurrere campos
 Pieridum video, cælo te laudibus æquo.
 Scandis Apollineos colles, & templa frequentas
 Musarum, doctæque manu bene mystica tractas.
 Pulpita jam scande, ô Iuvenis, documentaque vestra
 Da Sophia, vestrumque caput da cernere doctum,
 Sic tua non densis tenebris oppressa jacebit
 Fama, sed in altum feret immutabile nomen.
 Nunc studiosa cohors meritas tibi reddere laudes
 Pergit, & exactum concedit opus: tua facta
 Docta, Zelanda cohors, nec non Vrbs Goesa stupefcit.
 Quid? tua facta DEOS movent, Parnasia templa
 Murmure suavisono resonant, ac undique Phæbus
 Carmina festa fremit, doctâ stipante catervâ,
 Calliope tibi lata boat, sed concinit illi
 Dulcior Euterpe modulis, tibi stamina Clotho
 Non rumpenda, tuæ laudis bene conscia Parca,
 Promittit, longos vitam producere in annos.
 Quid multis? cur cuncta canam præconia laudis?
 Tu quo cœpisti, recto pede tendere perge.
 Aonidum pergas constans lustrare recessus.
 Vade bonis avibus, CHRISTUS DEUS adsit eunti.

Pofuit ex animo

GUILJELM. NOLLET,
 Phil: Stud. Mallet sibi jungere Musas.

A D E U N D E M.

Hactenus obscuro studio secreta Minervæ
Lustrasti, & tacito limina docta pede:
Perdus, ac pernox Phœbi sub culmine versans,
Tentasti studiis discere multa tuis.
Hactenus inferior te duxit ad ardua motus,
Nobilior te nunc ad graviora trahit:
Nunc majora tuos spectant subsellia vultus,
Dum tutor veri verus alumnus ades.
Euge Deus Deus ipse movet tua pectora, motus,
Instinctusque tibi cœlitus ille venit.
Suscipe cœlestes, divinos suscipe motus,
Hostilesque tibi fundero disce manus:
Sic verum, & virtus, quovis præstantior auro,
Splendida perpetuo tempora flore teget.
Interea Sophiæ gratamur pectore toto,
Provida quæ tantum fit sibi nacta ducem;
Et te flos juvenum merito celebramus honore,
Qui studium veræ cognitionis habes.

Cecinit

JOHANNES PENNE,

Zirizaa Zeelandus.

F I N I S.




00 A 6396

ULB Halle 3
002 928 167



St





restituto, locus perforatus linteo
fusum imbibendum replendus,
o imbuto, tegendus, & caput por-
datis, muniendum.

re emolliente & purgante evacua-
j vel viij.

III.
carpti & spiritus vini usus præ-
datum.

IX.
vulnera, à chirurgo per sarcotica &

X.
is,
hor

L

o n

ferm

trio

ur o

m n

tem

em

com

mm

i ne

am

I

I

I

I

I

I

I

42 168
MEDICATIO DUORUM ÆGRORUM,
IMBECILLITATE HEPATIS
LABORANTIUM:

Q V A M,

DEO OPT. MAX. AUXILIANTE;
SUB PRÆSIDIO

VIRI CLARISSIMI,

D HENRICI REGII,

Reip. Ultraject. POLIATRI, & Medicinæ
Professoris Ordinarii, ac Philosophi
eximii,

Publicæ disquisitioni exhibet

JACOBUS INGELSEN, Goezâ-Zelandus,
Ad diem 28. Maji, horâ 9. matutinâ.



TRAJECTI AD RHENUM,
TYPIS *Gisberti à Zyll*, & *Theodori ab Ackersdyck*,

C L O I O C L L.

